



Disputatio juridica inauguralis de foenore & anatocismo

<https://hdl.handle.net/1874/345197>

43.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
FOENORE & ANATOCISMO,

QUAM

FAVENTE TRI-UNO NUMINE,

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,
NEC NON

Amplissimi Senatus Academicus consensu, Nobilissimaque

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eradicorum examini subjicit

JOAN VANDÉ POLL, Amstelod. Bat.

Ad diem 23. Januarii hora locoque solitus.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, cl CC xcii.

VIRO SPECTATISSIMO,

D. GERARDO SCHUT, Mercatori
quondam vigilantissimo, Vitrico pluri-
mum reverendo.

CLARISSIMO CONSULTISSIMOQUE VIRO,

D. LUCÆ vande POLL, J. U. D.
& in illustri Academia Rheno Trajecti-
na Codicis Professori Ordinario, Pa-
truco venerando, Studiorum Juridico-
rum Moderatori eximio.

NEC NON

JURISCONSULTIS GRAVISSIMIS

D. FLORENTIO BECKER, J. U. D.
Abbatiae Paulinæ Ultrajectina in Urbe
Quæstori dignissimo, Curiæque Provin-
cialis Advocato.

D. GULIELMO a ZUYLEN itidem
J. U. D. Curiæque ejusdem Advocato.
Avunculis affinitate conjunctissimis,
multumque de me tam meritis, quam
merituris.

Inaugurale hoc exercitium uti dare dedicare

fas erat, ita Do Dedicoque

JOAN vande POLL. Auctor.

PRÆFATIO.



Icet penitus à Juridicâ hac velitatione
absterrere me potuisset effatum illud ;
Quisquis prius vires suas cum hoc, quod
est subiturus, onere metietur, si impar est,
abstineat, & cum metu ad id etiam, cui
se sufficere existimat, accedat. Summa
tamen Juris & Legum jucunditas, qua neque in pau-
pertate vivere, neque mori in anxietate permittit,
in Epil. Nov. 1. de hered. & Falcid. eò animum impu-
lit, ut nolens volens hanc explicatu dignam de Fœ-
nore & Anatocismo materiam excutiendam suscep-
rim, & Juvenili ætate meâ quidvaleant humeri,
quid ferre recusent, experirer. Quia enim Legislator
noster Justinianus cupidam Legum Juventutem ita
dilexit, ut non solum totius legitima scientiæ prima
Elementa ei tradiderit, sed & Reipub. dignam credide-
rit gubernatione, §. ult. in proœm. J. ardore discendi
& legum ænigmata solvendi cupidine, (quam habuif-
se Julianum refert J. C. Pomponius) etiam ego al-
lectus, præsens subeo officium, & ad id cum metu
etiam accedo. Nec pigebit me, sicubi hæsito, quæ-
rere ; nec pudebit, sicubi erro, discere. Nemo enim
est mortalium, quem non aliqua pars ignorantiae at-
tingat, quam contagionem ex ipsa mortalitate traxi-
mus. Nam homo cum errat, humanitus errat. Er-
rorem autem in homine calumniari, est ipsi mortali-
tati convitium facere.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
FOENORE ET ANATOCISMO.

THESIS I.



E iis quæ ad Fœnus & usurarum usurpas pertinent, scripturo nihil prius aut antiquius videri potest, quam ut ipsam usuram, fœnorisque naturam consideratè attendens, præcipua in illis requisita inspiciat: nisi enim cognitâ utriusque etymologiâ ac definitione, vix apparere poterit quid sit illud, de quo illico nobis tractandum est, cum contra expositis horum summiariis proclive omnibus sit iudicium futurum, an & quo jure aut merito in juris nostri Codicibus cā de re agere Cæsaribus Jurisque consultis libuerit.

II.

Ut igitur (quantum fieri potest) ordinè procedat hoc nostrum exercitium, a Fœnoris vocabulo initium faciemus: intellectâ enim ejus proprietate, haud difficile erit veram ejus definitionem invenire. Hæc vox Græcis non adeò frequens est; nullum enim habent vocabulum præter τόκος, quod propriè γένεσις, & generationem significat, sive partum, quod nummus nummum pariat: sicuti similia generantur a similibus Aristotel. lib. de Repub. Latinis in scriptoribus Fœnus diverso sensu nobis occurrit: vel enim Fœnus ab ipsa origine Fœtus est, seu fructus, partus, accessio, ipsæque adeò supra fortē usurat, uti apud Plautum Moſt. A. III. Sc. I.

I N A U G U R A T A U L I I S.

Sc. 1. Qui neque Fœnus neque sortem argenti dant; Rursus, & Fœnus & sortem dabit: sic idem in Afîn: querere argentum in Fœnus. Horat: de Arte poet. Positis in Fœnore nummis. Cic. pro Clatio; parcat juventus pudicitia sua: ne spoliat alienam, ne effundat patrimonium, ne Fœnore trucidetur. Sic in Jure nostro. l. 24. ff. de usu & usufr. leg. Fœnus quoque sortium, quas defunctus collocavit, vid. l. 9. ff. de usur. & fruct. Atque sic dantur de hac Fœnoris significatione plurimæ leges, & infinita fere loca, quæ omnia brevitatis causa omittam. Quidam vero existimant, Fœnus dici a fundo, quia fundus cum O, non cum V, apud antiquos scribebatur, & proventus propriè esset ex naturali terræ fructu. Cic. de Senect. Nec unquam terra sine usura reddit quod accepit, sed alias minore, plerumque majore cum Fœnore. Ovid. de fast. Hordeaque ingenti Fœnore reddit ager. Plin. lib. 18. cap. 17. Sic quoque cum quinquagesimo Fœnore messes reddit felicitas soli. Pro Sorte etiam cum usuris sumi videas, ut in illo Manilii lib. v. Astronom.

*Arvorum ingenerat studium rurisque colendi, prout in aquâ lev
Seminaque in fœnus saltatis reddere terris,
Usuramque sequi majori sorte, receptis
Fructibus innumeris.*

Ast etiam ipsa frequenter sortis notione venire Fœnus non abs re dixeris. Plin. d. c. 17. Cic. ad Attic. Ep. 1. Itaque aut tutela cogito me abdicare, aut pro Glabrone Scævola fœnus & impendium recusare. Ultimò Fœnoris nomen illum contractum indicat, qui si gratuitus esset, mutuum, nunc vero ob usuram mutuum fœnebre vocatur; uti in sequentibus latius apparabit.

III.

Sequitur ut de Fœnoris definitione dispiciamus; Fœnus igitur est *usura*, quæ supra sortem ex mutuo debitam, (intercedente stipulatione) exigitur. Teste Ant. Matth. de obligat. disput. 35. thes. 1. Seu est accesio ad sortem mutuo datam ex sola stipulatione. Et sic propriè Fœnus definitur: hoc enim in contractu tantum mutui locum habet, etiam si creditoris, ratione damni, nihil intersit. Cuj. in l. 90. de

6 DISPUTATIO JURIDICA

V. O. atque hinc venit, quod pecunia gratuita opponatur fœnori l. 10. §. 8. ff. mand. l. 8. ff. in quib. caus. pign. tacit. ideoque fœnus duntaxat in lucro & quæstu est positum, neque ex natura mutui, sed ex sola conventione provenit. l. 121. de *V. S.* Sic enim ait *Cic.* Nec si tuam ob causam enigmam commodes, beneficium illud habendum est, sed Fœneratio. Idem fere *Senee. Lib. de beneficiis quarto.* Istud, inquit, non est beneficium, sed fœnus, circumspicere non ubi opumè ponas, sed ubi questuosissime habebas, unde facilissime tollas. Fœnus igitur proprie non est ipsa sors, quamvis apud nonnullos pro sorte aliquoties sumatur, nempe impropriè, ut supra demonstratum est. Errant igitur egregie illi, (inter quos Doctissimus vir *Salmasius*) qui hanc definitionem fœnoris nobis tradunt: Fœnus est sors credita sub usuris; perversa sane & aliena a Jure nostro definitio: fœnus enim non est sors ipsa, verum pecunia seu quantitas mutuo data & est & manet sors: donec sit soluta, vel alio modo extincta: usuræ vero debitæ ex pacto vel stipulatione mutuo adjectâ sunt fœnus, quod infra videbimus.

I V.

Post *Fœnoris* definitionem, proximum nobis est, ut ad divisionem accedamus ac inquiramus, utrum fœnus sit generis unius, an non. Hanc enim investigationem inutilem esse ac otiosam haud cogito. Sic enim dicit *Salycetus*, qui bene distinguit proximus est veritati, in prolegomenis ante C. col. 2. Summa itaque fœnoris divisio hæc est, vel est nauticum, vel terrestre: illud autem subdividi potest in proprium vel improprium: fateor, Jurisconsultos & Imperatores nusquam sic distinxisse; quoniam res ipsas habent, non curant sæpe verba. Sed ut rem commodius explicare possemus, non inconveniens nobis hæc videtur distinctio. Nauticum proprium est lucrum creditoris, quod habet ex pecuniâ navigaturo creditâ, propter pecuniæ periculum, quod in se recepit; vel paulo aliter, est accessio pecuniæ trajectitiæ, navigaturis creditæ, hac lege, ut pecunia sit periculo creditoris; quæ ob id dicitur pecunia nautica, l. 3. ff. de naut. fœn. & l. 122. ff. de *V. O.* frequentius tamen

I N A U G U R A L I S. 7

tamen trajectitia, in tñ. de confirm. Digest. §. alius, item usura maritima in l. 6. ff. b. tit. quia trans mare vehitur l. i. eod. tit. sub quâ etiam merces ex eâ pecuniâ comparatæ continentur. d. l. i. Quisquis ergo credit pecuniam navigaturo, suo credit periculo, quam ob causam usuras centesinas pacisci vel stipulari potuere creditores. l. 5. §. i. de naut. Fœn. l. 7. eod. l. 26. §. i. C. de usur. nam cum ea pecunia trans mare vehatur, periculo creditoris, usura non propter usum pecuniæ, sed propter periculum, ac tanquam periculi premium exigitur. l. 5. ff. b. tit. cum maximè maris fortunam subbeat creditor, pecuniâ ventis, tempestatisbus, scopolisque commissâ: quo nihil periculosius, nihil magis dubium, ubi navigans est, juxta Juvalem,

Digitis à morte remotus

Quatuor, aut septem, si sit latissima teda.

Nihil tam capax fortitorum quam mare ait Tacit. xiv. annalium.

Re ipsâ navigare incommodum est.

O fortunate, nescis quid mali

Praterieris qui nunquam es ingressus mare.

Terent. Hec. act. 3. sc. 4.

Ideoque hic leges antiquæ permisere stipulari infinitas usuras, Paul. 2. sent. 14. §. 3. & l. 26. C. de usur. Unde &c hodie majorem centesimâ stipulari licet, habitâ ratione loci ac temporis propter intuitum tanti periculi; Groenew. b. Si pecunia nautica data sit ea lege, ne sit periculo creditoris, non licet tunc ultra modum stipulari. l. nihil interest. 4 ff. b. tit. Periculum hic eatenus intelligendum, quatenus contingit sine culpa dolore debitoris l. 3. C. h. tit. Creditor autem solummodo agnoscit periculum in itu, donec navis cum pecuniâ ad portum appulerit destinatum, nam postea ordinariæ currunt usuræ l. i. C. b. tit. non vero in redditu d. l. i. nisi aliter conventum sit l. u. eod. tit. Neque necessario requiritur ut merces sint salvæ, sufficit navem pervenisse in portum, nisi nominatim aliter cautum sit. l. 3. l. 5. §. i. D. ad leg. Rhod. Sæpius creditor solum suscipit naufragii periculum; aliquando etiam periculum jacturæ mercium, factæ communi vecto-

rum

8 DISPUTATIO JURIDICA

rum consensu (navis levandæ causa, ne per tempestatem pereat) & pyratarum, vel hostium incursionis, & incendi. Alias mercium jactus omnium, quorum interfuit, contributione sarcitur. l. 1. 3. d. tit. ad l. Rhod.

V.

Quod ad præstationem culpæ hic pertinet, nonnulli à nauis levissimam exigunt culpm l. 3. §. 1. & 2. ff. naut. cap. stat. Alii distingunt inter mercatorem, vel dominum, & illi (dicunt) leve præstanda est culpa, huic levissima. arg. l. 25. §. penult. ff. locat. Nos vero missa hac distinctione priorem amplectimur sententiam ex Edicto Prætoris. d. §. 1. & 2.

V I.

Finitur Fœnus nauticum, finito periculo quod creditor in se susceperebat, vel ad certum diem, vel ad certam conditionem, vel ad certum portum, vel usque ad redditum & in omne navigationis tempus. Neque vero dubitandum, finiri duplo, cum certam habeat taxationem d. l. 26. C. de usur. l. 4. §. 1. ff. b. tit.

V II.

Improprum Fœnus nauticum dictum consistit in iis casibus, quibus citra navigationem pecunia datur periculo creditoris. Nota, quod antea omiseram, verbum pecuniae non solum comprehendit nummos, ast etiam vinum, oleum, frumentum, triticum, hordeum, & cætera omnia quæ mutuam recipiunt functionem, atque pondere, numero, mensurâque constant; uno verbo vocantur quantitates l. 2. §. ult. junt. l. 4. §. 1. de eo quod cert. loc. Hoc fœnus ex solo pacto ejusdem Juris potest esse cuius est trajectum proprium, quod hic singulare est ob periculum susceptum, nam alias ad fœnus necessario requiritur stipulatio. l. 1. l. 3. C. de usur. vid. infra. Unde igitur recte inferimus, si quis non mari, sed terrâ negotianti crediderit suo periculo, centesimas illum quoque usuras pacisci posse. Motom. disput. de fœn. cap. 2.

Hacte-

VIII.

Hactenus de *Nautico* breviter, vel quasi *Nautico* Fœnore egimus, translato in creditorem periculo. Restat igitur ut paucis de vulgari tractemus, cuius definitionem *vid. supr. Th. 3.* Differt à *Nautico* quod in vulgari desideretur maxime stipulatio *d. l. 1. l. 3. C. de usur. l. 10. §. 4. mand. l. 121. ff. de v. S.* atque adeo neque ex pacto nudo, neque ex mora, neque etiam per litis contestationem deberi incipit. Neque tempus solum sufficit ad obligationem inducendam, ut puta si quis Fœnus quod non deberet pluribus solverit annis, quasi deberet. *l. 7. C. de usur. add. l. 28. C. de paſt. Cujac. in l. 6. de usur.* Neque sola necessaria est stipulatio, verum etiam certus modus in stipulando est exprimendus, alioquin nullius est momenti tota stipulatio cum usuris, *l. 31. ff. de usur. l. 41. eod. tit. l. 99. ff. de V. O.* Dantur tamen quædam exceptiones, quando etiam citra stipulationem debentur. 1. Civitatibus *l. 30. ff. de usur.* 2. In pecunia mensæ argentariæ præpositis debitæ. *Novell. 136. c. 4.* 3. In pecunia trajectitiâ sive nauticâ *l. 5. §. 1. ff. de naut. fœn. l. 7. eod. l. 26. C. eod. tit.* 4. Fisco *l. 17. §. 5. ff. de usur.* 5. Excipitur Fœnus specierum *l. 12. C. eod. tit.* Sic quando debitor ex paſti conventione usuras sponte solverit, eas tunc ut indebitas condicere, aut in sortem accepto fere haud potest *l. 3. C. b. tit.* quia si non civiliter, naturaliter saltem debuit. Sic etiam pignus retineri potest, nomine usurarum ex pacto debitarum *l. 4. l. 22. eod. tit.* De modo legitimarum usurarum, &c de fraude committendâ circa usuras, sicuti etiam de aliis, ad ipsam de usuris materialiam infra tractabimus.

IX.

Tollitur autem *Fœnus*, sublata principali obligatione, vel soluta sorte cum usuris. *l. 23. D. de solut.* Finitur etiam novatione, vel acceptilatione *l. 18. ff. de novat. l. 1. ff. de acceptil.*; vel longissimi temporis præscriptione. *l. 26. Princip. C. de usur. l. 3. C. de prescript. 30. vel 40. ann.* vel aliis legitimis modis.

ro. DISPUTATIO JURIDICA

X.

Sequitur igitur ut usuras, non vero usuram pro mercede explicemus; quamvis eo aliquoties sumatur modo, nempe eadem forma & figura loquendi, quā locationem & conductionem pro locationis & conductionis mercede posuerunt. Ut Paulus in *l. locat. ff. de publ.* & *veet.* & *l. 63. §. 1. ff. de fidejuss.* Cic. in *Bruno* usuram impendium vocat, cum dicit *impendius angetur fors*, id est, usuris. Usura autem ab utendo nihil nisi ipsum indicat usum. Cic. *natura enim usuram nobis vita dedit tangit pecunia &c.* Sic Plautus, *Eiusque usuram corporis cepit sibi.* Cui etiam *uxor usuraria dicitur*, cuius usuram quis habet. Vid. Donat. ad Terent. *Unius usuram hore gladiatori isti non dedisset.* Idem etiam confirmat Jurisconsultus Pomponius *l. 60. ff. foro soc.* Sic acutissimus & subtilissimus vir Papinianus in *l. 58. ff. ad Sc.* Trebellian docet usuras propter usum mediī temporis percipi.

X I.

Usura in specie est ad sortem, sive quantitatem, quacunque ex causa creditam accessio. Et hæc quidem definitio iniqua haud nobis videtur. Dixi *quaunque ex causa*, quia usura non tantum ex stipulatione præstatur, *l. 40. ff. de reb. cred.* sed & ex pacto omnibus bonæfid. contractibus, ex quibus vel quantitas vel pecunia debetur, convenit; quo ipso à sc̄enore differt. Dixi *creditam*, nam ut creditoris & debtoris, ita etiam crediti nomen generale est, & ad omnem causam, quā alienam fidem secuti, in creditum imus, refertur: *l. 1. ff. de reb. cred.* Dixi *accessio*, quod hic indicat argumentum fortis successivum *l. 12. C. h. t.* vel additamentum *l. 16. 23. C. eod.* unde constat, quod usura non possit per se consistere, quasi accessio, sine re principali, ex qua dependet. arg. *l. accessorium de R. f.* Cæterum accessionis verbum latissime patet, complectitur enim augmentum ejus rei quæ in judicium venit, cuiusve nomine actio, petitio, persecutio est. Ast hæc quia ad accessionis materiam pertinent, silentio præteribimus, ne rerum multitudine, nimis sit tediosa hæc dissertatio nostra lecturis.

Qui-

XII.

Quibus itaque ex causis usuræ debeantur obiter explicemus. Debentur primo, ex pacto bonæf. judiciis in continent adjecto l. 23. in fin. ff. depos. ubi legem contractus Papinianus appellat pactionem super usuris factam, vid. præterea l. 5. C. de pact. inter. emt. & aendit. ubi notandum est quod JC. Gordianus addiderit verbum *mitio*, quod non frustra factum, cum & eodem utatur magnus Papinianus in d. sua l. 24. ff. deposit quoniam eo indicant pacta in continent esse adjicienda, ratio quia pacta in continent subsecuta bonæf. judiciis insunt. l. 7. §. 5. ff. de pact. quod si non in continent, sed ex intervallo, contractu jam bonæf. absoluto perfectoque de usuris convenerit, contractui illi non ineunt, nec valebunt, si quis agat, ne ex pacto actio nascatur d. l. 7. §. 5. ff. de pact. Si vero casus eveniat, quo pactum adjectum sit in continent stricti juris negotio, & usuræ ex eo pacto solutæ sunt, condici tanquam indebitæ minime possunt, neque in fortē imputantur l. 3. C. b. t. quia saltem naturaliter debebantur, l. 5. §. 2. ff. de solut. naturalis autem obligatio impedit condictionem indebiti l. 10. ff. de obligat. & act. Sunt quidem variæ exceptiones ab hac regula, *usura ex nudo pacto peti non possunt*, quas tamen hic non enumerabimus. Secundo usuræ debentur etiam ex stipulatione adjectâ tam stricti juris quam bonæf. contractibus. vid. Duar. capite 2. l. 31. ff. b. tit. d. l. 1. l. 3. C. eod. cum sit adhibita ad firmandas alias obligationes, authore Paulo lib. 5. sententiar. tit. 7. Tertio Usuræ debentur ex morâ in bonæf. judiciis l. 32. §. 2. ff. b. tit. l. 12. C. eod. l. 54. ff. locat. l. 2. C. b. t., hinc illud quod in bonæf. actionibus tantundem possit officium judicis, quantum in contractibus stricti juris nominatim valet stipulatio interposta d. l. quero ff. loc. sic etiam legata & fideicomissa hac in parte equiparantur his contractibus (et si alias bonæf. non sint, sed strictis annumerentur negotiis l. 6. ff. de in lit. jur.) in iis enim etiam statim ex mora usuræ & fructus peti possunt l. 1. & 2. C. de usur. & fruct. leg. seu fideicomiss. l. 84. & 85. §. 1. ff. de legat. 2. Explicaremus hic quid sit mora, quotu-

plex sit , quosnam effectus habeat & cætera plurima , quæ quidem ad hanc pertinérent materiam , sed quia summarie hæc saltem nobis tractanda , idè ad adjuvandam explicatiō nem nostri sequentis *Anatocismi* hæc sufficere , minime dubito.

X I I I.

Ne ergo ex abrupto transitus ad prædictam fiat materiam , prius de legitimo ac illegitimo usurarum videbimus modo , seu quantitate quæ aliter sese habet hodie , atque olim fuit . Nam ante Justinianum Augustum non fuit certa usurarum limitatio , sed pro temporum locorumque consuetudine , modo gravioribus , modo levioribus fœnerabantur , ita ta- men ut sanctiōne juris veteris usurarum in mutuo finis fuerit centesima , sive maxima l. 38. ff. de neg. gest. l. 54. ff. de ad- ministr. tut. l. 4. §. 1. ff. de Naut. fœn. l. 1. ff. b. tit. quæ ob id di- cta est legitima quantitas . l. 8. C. si cert. per. quod ad centesimam usque , non ultra eam , stipulari leges permetterent ; l. 2. C. dēnsur. rei jud. l. eos. C. b. tit. Et hæc antea quidem usita- tissima , postea vero certis tantum casibus permitta fuit , ut in traejectitiā pecunia , in quâ olim etiam infinitas stipulaban- tur usuras ut dicit. sapr. th. 4. Item quando condemnatus post tempora rei judicatae non solvit tot. tit. C. de usur. rei jud. Sic quoque in credito rerum fungibilium , sive specierum & fructuum d. l. 26. C. b. tit. l. 23. eod. Item in pecunia pupillo- rum , cum tutor usuras pupillares in usus suos convertit . l. 1. C. de usur. pup. & 11. sequentibus d. l. 38. ff. de neg. gest. l. 7. §. 4. ff. de adm. tut. Cæterum ne usurarum tabes Rerumpubl. ac civium , præfertim egenorum facultates ad vivum depasce- ret , & tristissima quasi peste , incursione barbarica non mi- nore , homines invaderet , circa terrestres usuras , ex con- stitutione Justiniani , legitimus ac certus , pro ratione perso- narum , & negotii qualitate definitus est modus , ultra quem fœnerari minime liceret.

X I V.

Illustres siquidem viri & qui supra illos sunt ultra trienta- les usuras , seu tertiam partem centesimæ , non accipiunt . l.

26. C.

26. *C. de usur.* sic dotis etiam triens usura præstanta est. *I. ult.*
 §. 2. *de jur. dot.* Mercatoribus autem, vel illis, qui præsunt ergasteriis, bessis centesimæ competit. Cæteris autem omnibus præter hos semissales tantum sunt concessæ, d. *I. 26. C. b. tit.* & sic communis posita est illis medicina. Hic vero modus, seu quantitas legitima minime est excedenda, adeo ut ultra eam ne poenam quidem, in usurarum fraudem, conventionibus adjicere liceat. *I. 44. ff. b. t. I. 15. C. eod.* Laudanda hic sane est moderatio Romanorum, qui non solum majores cohiebat usuras & levioros permittebant, sed præterea triplicem usurarum invenerunt moderationem, ac fancivere, 1. Ne ubique possent infligi centesimæ usuræ, leviores quibusdam constitutionibus statuerunt, 2. vetuerunt exigi ultra duplum, in quo inest simplum, me usuræ possent currere postquam sortem æquaverint. Sequebantur institutum Luculli, qui adversus fœneratorum voracitatem succurrebat olim eo modo per bellum attritis Achaiæ Urbibus; ut ex Plutarcho Rævardus ad *I. 41. §. 1. ff. de Reg. Fur.* Quin & jam imperante Tiberio usuras duplum sortis non excessisse demonstrat ibidem è Tacito, unde & Sidonius Apollinaris *lib. 4. Epist.* ad duplum adducta sorte reformari debitum consuevit. 3. Prohibuere & usurarum usuras *I. 26. §. 1. ff. de cond. indeb.*

X V.

Quoniam jam ad prædictam pervenimus nostri Anatocismi materiam, principe loco istius verbi originem explicabimus. Anatocismus ergo a Græco derivatur verbo ἀνά, quod in compositione valet ἀνα & significat rursus, & a verbo τόνος, Latinis usura, atque adeo rursus usura. Hæ rursus usura, seu usurarum usurae circa primum Ciceronis tempus a vulgo quidem exigebantur, & dum Ciliciæ haberet administrationem, eas non prohibuit, etiam centesimarum usurarum centesimas usuras, quæ tamen solvebantur non in singulos menses, sive inmediate a fine cuiuslibet mensis, nec in singulos trimestres aut semestres, ast tandem in singulos annos, nimirum eo casu quo debitor per annum

integrum in solvendis usuris menstruis cessasset, quod a Cicero dicebatur Fœnoris renovatio lib. 6. ad Atticum Epist. 1. 3. & lib. 5. Epist. final. Hæc autem renovatio antiquo jure in rei judicatæ usuris permittebatur C. tit. de usur. rei judic. Sed tam eo casu, quam cæteris omnibus, Imperator usurarum prohibuit renovationem l. ult. C. de usur. Alio autem & proprio quidem nomine Cio. in epist. ad Atticum has usuras anatocismum nominat, cum Scaptium quendam Salaminiorum ex Cypro creditorem ad se dum Ciliciam administraret (ut dixi supra) venientem, (hominem audacissimum) impudentiæ arguit; quod centesimis & Anatocismo, eoque anniversario, hoc est in singulos annos renovando, nollet esse contentus: postea vero hæc usuræ fuerunt prohibitæ, præcipue lege à Licinio Lucullo, Afiae proconsule, in Bythinia lata, quâ eos toto privavit, qui sortem usuris miscuissent. Vid. Gronov. cap. 14. lib. 3. de vet. pec. Popma in d. locis Cio.

X V I.

Quomodo autem Anatocismus sit definiendus, non operæ pretium est ut dicamus, quoniam antea Th. X. usurarum definitionem præbuimus. Atque adeo qui scit quid sint usuræ, satis colligere potest quid sint usurarum usuræ seu Anatocismus: pergamus ergo potius ad divisionem.

X V I I.

Usurarum usuræ vel sunt per se, id est tanquam alterius novæ sortis, separatæ a principali, vel quatenus redactæ sunt in principalem sortem. Hanc distinctionem commen-tia fuerunt pessimi atque improbi illi sceneratores, ex summa avaritiâ omnium malorum radice, nam videbant lege prohibitum prius, de quo statim locuti sumus, Anatocismi genus, quia illa nova fors separata a principali, retinebat nomen & originem meræ usuræ, & inde jam sequebatur vel accessio accessionis, vel duplex unius rei accessio, quod contra naturam judicabatur. Longe aliter sese res habebat, quando usuræ in sortem principalem erant redactæ, & sic creditor usuras totius sortis principalis, quæ jam accreverat per

per usuras, stipularetur. Quo casu verus siebat Anatocismus, & quod Theophrastus *αεὶ μιμολόγες τόνον τὸν πράξαι,* appellat. Egregia sane fictio, quasi tunc non esset usura usurarum, sed usuræ totius & solius sortis principalis auctæ, saltem quando hoc non siebat a principio, sed in singulis terminis nova pactio, quasi vero novum esset mutuum velut brevi manu exactum & iterum, in scenus creditum. Hoc autem modo miseri illi debitores majus habebant gravamem, quia priori casu, quem solum dicebant prohibitum, debitor poterat particulari solutione tanquam usurarum, non sortis, se ab usurarum usuris liberare. Secundo autem casu quem illi ex argutia concessum simulabant, ac tanquam ex lege interpretabantur, nulla particulari usurarum solutione se se liberare poterant, quia renovationibus illis unicum ac simplex videbatur debitum, totum solvendum. Hanc vero tabem Justinianus omnino prohibuit *in l. ult. C. b. tit.*

X V I I I.

Usuræ usurarum præterea sunt vel temporis futuri, vel temporis præteriti, vel pariter ab initio, vel singulis terminis repetitâ novâ stipulatione foeneratoriâ, vel sunt conventionales, vel legales, quæ omnes prohibitæ sunt, *d. l. ult. C. b. tit.* quod tamen mirum est in legalibus usuris *l. fin. in pr. C. de usur rei jud.* cum in iis sit facta debiti novatio necessaria, quando debitor condemnatur a judice in certam summam tam pro sorte quam pro usuris, qui debitor detrectans judicatum, & non solvens post quadrimestres inducias ei a lege gratis & sine ullis usuris concessas, saltem tum tenetur solvere centesimas usuras istius sortis, secundum naturam judicati, non vero usurarum quæ ex pristino contractu in condemnationem deductæ sunt, quamvis facta esset legalis novatio universi debiti, atque adeo haud injustum fuisset debitorem pertinacem gratuitum legis beneficium negligentem usuris toties debiti novati deinde multari. Nulla tamen habita ratione hujus contumaciæ, censuit Imperator noster Justinianus, *ut funditus exterminaretur Anatocismus*

tocismus, & nullus ei locus sub prætextu cujuscunque iustæ causæ supereffet) legales has ac juste punitorias usuras pro rata prioris tantum sortis currere, & prohibuit ne ullæ quantulascunque usuræ pro incremento ex veteribus usuris conflato, a debitore solverentur. Hoc itaque modo usuris rei dupliciter moderatus est. Primo enim duplificem centesimam quam jure veteri exigere licitum erat, ad simplicem reduxit *l. 2. C. de usur. rei jud.* Secundo omnem hic penitus Anatocismum delevit fortius quam olim veteres, *l. fin. eod. tit.* adeo ut judex jam necessario in sententia sua discernere debeat quantitatem sortis ab usuris. Hasce illicitas usuras adventitium lucrum vocare videtur Ulpianus in *l. 41. §. 1. ff. de R. f. junct. l. 26. D. de cond. indebit.* Sic & Cicero adventitiam pecuniam dixit, *pro Rabir. Posth.*

X I X.

Statuimus itaque usurarum usuas indistincte & omnino esse prohibitas, *d. l. ult. C. b. tit. & d. l. fin. C. de usur. rei Fin- dic.* imo quod amplius, nequidem pænarum usuræ debentur *l. 1. C. de fisc. usur.* Non vero idem dicendum de usuris simplicibus, quoniam has sine ullo gravamine (modo non excedant legitimum modum, ut dictum supr.) tam jure Divino quam jure Gentium, nec non jure Civili exigere licitum sit, quamvis pecunia sua natura res sit sterilis. Rationes ob quas usurarum usuræ sunt prohibitæ, variae reperiuntur. Primo quia in rerum natura non potest esse accessio accessionis, cum sit accidens accidentis, nec fructus dentur fructuum, nee duplex unius rei accessio, neque servitus servitutis, quæ ideo nec in bonis nostris nec extra bona nostra esse dicitur *l. 1. ff. de usur. leg.* Secundo in favorem debitoris, ne illorum patrimonium brevi tempore esset exhaustum. Tertia ad moderandam pestinam creditorum avaritiam. Quartu[m] quia maxime Reipub. interest certum ac definitum usurarum constitui modum, si vero usuræ usurarum licite exigerentur, tunc frustra lex ea de re fuisset constituta, nam cum semissim seu dimidiā centesimalē usurarum nomine vulgariter exigere liceat *l. 26. C. de usur.* si ejus semissim renovatio

tio permitteretur, in infinitum sine ullo modo usuræ crescent, quo nihil absurdius. Quinto, satis notum est quod multis casibus usura sit pœna, nihil autem jam iniquius excogitari possit quam pœnæ exigere pœnam. Denique usura nihil aliud videtur quam usus merces, si jam ulla lege permitteretur hujus mercedis renovatio, tunc unius rei merces contra naturalem æquitatem bis exigeretur, quod maximam secum trahit iniquitatem, teste Ulpiano in *I. 32. §. 1.* *D. de evict. I. 31. §. 16.* *D. de adiit. edict.* qui illud immodi-
cam atque illicitam computationem vocat, si quis commo-
dorum commoda audet exigere, ex qua causa etiam fructuum
usuræ jure civili sunt prohibitæ. *I. 15. D. de usur.* non obstan-
te *I. 51. §. 1. ff. de petit. hered.*

X X.

Sequitur ut dispiciamus quæ pœna sit statuta circa impro-
bos illos fœneratores, qui summa moti avaritia usurarum usu-
ras exigebant. Primo si redegerant usuras in sortem, &
earum rursus usuras stipulati fuerant, usuræ semper man-
abant usuræ, & nullum aliarum usurarum sentiebant incre-
mentum, sed tantum sortis antiquæ, unde damnum patieban-
tur, nam si usuras exegerant debito tempore, potuissent
illas alteri locare fœnori, & sic percipere usuras istius novæ
sortis conflatae ex prioribus usuris. Præterea quod satis du-
rūm est, hos usurarum usuras exigentibus infamiae macula
irrogatur, clarus textus est in *I. 20. C. ex quib. caus. infam. irrog.*
si tamen sunt qui negant eam infamiam ipso jure fœnerato-
ribus inuri, nos cum Geminiano *consil. 77.* & Covarruvia
3. resolut. 3. contra censemus. Hic vero iterum quæstio sub-
oritur, an usurarius sit criminaliter puniendus? *Clarus 5.*
§. usura 20. *versus sed quaro* puniri eum extra ordinem censet.
Molinæus vero *num. 156.* rejiciens Baldi opinionem, ample-
ctitur Bulgari, Decii, Cornei sententias, criminaliterque
torqueri & puniri posse refert, ac tale exemplum se vi-
disse in Senatu Parisiensi affirmat. Nos vero nil certi hic sta-
tuere possumus, quoniam deficit lex, & sine lego loqui eru-
bescimus.

XXI.

Restat itaque ultimo loco, ut videamus num quædam sint exceptiones, seu casus singulares, ob quos hæc poena cefsat. Primo fallit pœna jure civili in hereditatis petitione: ratio evidens est, quoniam usuræ & fructus augent hereditatem, quare non mirum est ut fructuum & usurarum, quibus aucta est hereditas, æque usuræ debeantur ac reliquæ hereditatis; l. 20. §. 3. & l. 25. §. ult. junct. l. 26. ff. de her. pet. l. 40. §. 1. l. 51. §. 1. eod. iu. quod tamen fallit, si lis est contestata, post enim litis contestationem, accessionis non hereditatis jure censiunt incipiunt. d. l. 51. §. 1. Atque adeo ille qui litem contestatur, in eo facit conditionem suam deteriorem (quo enim tardius litis contestatio fieret, tanto longiori tempore fructuum usurarumve usuræ præstarentur,) quod hic singulare est, quoniam regula Juris dictitat neminem contestando litem, facere conditionem suam deteriorem. l. 86. & 87. de R. f. Secundo, Jure hodierno cefsat in debitis fisci, & civitatum quorum usuras in sortem redigere, ejusque denuo usuras exigere receptum est, vid. Groenew. ad l. ult. C. b. tit. Tertio fallit in annuis redditibus, ex quorum pensionibus decursis novum redditum constitui posse, tradit Christin. vol. 1. decis. 49. & vol. 3. decis. 43. n. 6. Ratio hæc est, quia novus redditus non est accessio, sed ipsum principale debitum. Quarto, cessat toties, quoties ipsæ usuræ debitum constituunt principale, cuius exemplum vid. in Fabr. Cod. lib. IV. tit. 24. def. 23. præcipue si tutor usuras pupillo ab aliis debitas in usus suos converterit, quo casu in novo debitore fortis vicem obtinent l. 58. §. 1. l. 7. §. 12. ff. de adm. tut. Longè aliter vero in usuris pupillo a tute ore ipso debitis. Wesenb. consil. 72. n. 10. II. & 12. Leeuw. parat. jur. nov. b. t. n. 3. Sand. dec. lib. 3. tit. XIV. def. vi. Ultimo loco nulla committitur fraus, si usurarum quarumcumque per procuratores nostros à debitoribus exactarum usuras exigamus. l. 10. §. 3. ff. mand.

CO.



COROLLARIA.

I.

Postumus Cornelianus merum est Interpretum figmentum.

II.

Tutela datio non recte dicitur Imperii esse, aut Jurisdictionis, sed ei sibi competit, cui nominatim hoc dedit, vel lex, vel SConsulitum, vel Princeps.

III.

Testamentum, in quo filius fam. est exhaere-

C 2 *datus*

*datus sine justa causa , non est ipso jure
nullum.*

I V.

*Nulla actio ab origine mixta , scilicet par-
tim in rem , partim in personam , dici
potest.*

V.

*Filius familiæ non potest testari de plenis
adventitiis , nequidem patre permitten-
te.*

V I.

*Vendor ad præcisam rei traditionem , ne-
que condemnari , neque cogi potest.*

V II.

*Inter verbis conjunctos datur jus accrescen-
di.*

Nihil

V I I I.

*Nihil iniquius aut falsius excogitari potest,
quam quod Mandatarius , ob levissi-
mam culpam condemnatus , fiat infa-
mis , neque id ex Cicerone probari po-
test.*



A P P L A U S U S

Doctissimo Viro-Juveni

JOHANNI vande POLL,

Quum summa cum Laude

Juris Utriusque Doctoratum auspicaretur.

 Ingite Pieriâ , nunc cingite tempora
Lauro
Doctoris , merito quem creat ipsa
Themis.

Quid mirum : tanti qui dogmata docta Magistri
Perdidicit , merito Laurea ferta tegunt.

Carmina nunc modulanda Tibi , sed carmina
Vati

Musa negat , numeros Pythius ipse negat.
Nec nostrum est vestras extollere, POLLIO, laudes:

Cantet Virgilius, cantet Homerus eas.

Accipe nunc, nostrum pro laudibus, accipe votum,
Corde quod ex imo jam precor ipse Tibi ;
Scilicet ut Patrui vestigia ritè sequarevis :
Gloria tunc vobis lausque perennis erit.

FRANCISCUS van BERGEN,
dictus MONTANUS, J.U.D.

Op

Op de TWISTREDENING
van den Geleerden HEER

JOHAN vande POLL,
handelende van de
WOEKERWINSTEN.



Choon Vulkaan zijn smits doet smoken,
En Belloon haar oorlogs spoken
Vrees'lijk dreigt op zee en landt,
Vlecht ons Themis noch Lauw'rieren,
Om daar mee het brein te zieren
Van haar zonen,
Die zy kronen
Toereikt met haar eigen handt.

Want hoewel de kriëgs-banieren
Rustig om ons ooren zwieren,
Tot een schut voor 's Vaders erf;
En of Mavors met zijn gasten
't Recht bestookt, en aan wil tasten,
Om door zwijgen
Haar te krijgen
Tot den val en in 't verderf:

Noch-

Nochtans heeft zy trouwe wachters,
Die den trots van snoo verkrachters,
't Zy in oorlog of in vree,
Stuiten, en haar gulde wetten
Op haar gouden altaar zetten,
Daar zy pralen,
En haar stralen
Schieteren over landt en stee.

Doch, om een voor al te melden,
Geen de minste van haar Helden,
Toont Heer van de POLL te zijn,
Die, ervaren in haar wetten,
Winsten paal en perk gaat zetten,
En het woeker
Noch veel kloeker
Schift en zuivert van 't fenyn.

Des ik Themis hem zie groeten,
Met die haar verzellen moeten,
Die zijn hooft met Lauwers vlecht
En, als winnaar, hem de prijzen
In haar Tempel toe gaat wijzen
Die hy moedig,
En zo spoedig
Heeft gewonnen door haar Recht.

D. S.